

illa, seu propensio, quae inter Creatorem, & creaturam intercedit, nunquam definit eandem illam hominibus gratiam concedere, quae licet homini in statu naturae integræ adjumento esset, (14) in statu tamen naturae lapsae nihil juvat. Respondeo ad secundum, magnum esse mysterium, quod mente affequi non valeo. Id unum dicam, Deum gratiam efficacem nonnullis negare, quia ita vult; (15) Verum ego certus sum, mihi gratiam hanc, & fuisse concessam, & concedi, quia sentio, me in Christum confidere, eique me esse unitum.



**DIVUS AUGUSTINUS  
S U M M U S  
PRÆDESTINATIONIS, ET GRATIÆ  
D O C T O R**

**CALUMNIA VINDICATUS.**

**A D V E R S U S**

**JOANNIS LAUNOJI**

**Traditionem, fœtu posthumo recens editam, &  
peculiari CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi  
Decreto nuper inustam.**

**A U C T O R E**

**FR. JACOBO HYACINTHO SERRY**

*Ordinis Predicatorum, Doctore Sorbonico, & in Serenissima Republica Veneta  
Academia Patavina Theologo primario.*

# A P P R O B A T I O

## Theologorum Ordinis Prædicatorum.

**D**ivum Augustinum, solidam Catholicæ columnam veritatis, ab antiquis Patribus in sacra doctrina differre, horrent aures fidelium diebus nostris audire. Validum illius propugnatorum suarum providit Ecclesiæ Altissimus, R. P. M. HYACINTHUS SERRY, in Universitate Patavina Theologum primarium, a quo promittitur D. AUGUSTINUS VINDICATUS, Quidni igitur prælo dignissimum, Opus tam pium, tamque Ecclesiæ profuturum? Ut videlicet toti orbi catholico eniteat, & Augustini candor, & Propugnatoris Studium singulare, nulli vel umbræ erroris penitus obnoxium. Ita pro veritate censemus.

Venetis in Conventu SS. Joannis & Pauli, die 15. Martii 1704.

Fr. Jo: Benedictus Perazzo S. Theologiae Magister.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli S. Theol. Mag., & Regens.

# L I C E N T I A .

## Reverendissimi Patris Generalis Ord. Præd.

Nos Fr. ANTONINUS CLOCHE Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis FF. Prædicatorum Magister Generalis, & Servus.

**H**arum serie, nostrique auctoritate officii, tibi Reverendo admodum Patri Magistro FR. HYACINTHO SERRY facultatem concedimus typis edendi Opus a te sub hoc titulo, DIVUS AUGUSTINUS A CALUMNIA VINDICATUS &c. compositum: cum jam a duobus in Theologia Ordinis nostri Professoribus approbatum, nobisque commendatum fuerit: servatis semper de jure servandis. In quorum fidem his Sigillo nostro munitis manu propria subscriptimus. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die 31. Maji 1704.

FR. ANTONINUS CLOCHE, Magister Ordinis.

Registrata Lib. I. Pag. 438.

Fr. Norbertus Delboque, Mag. Theol. Casan. Pro-focius.

Illustrissimo Excellentissimoque D.

# SEBASTIANO FOScareno

D. MARCI PROCURATORI, ET EQUITI

ACADEMIÆ PATAVINÆ MODERATORI.

F. HYACINTHUS SERRY THEOLOGUS FELICITATEM:

**E**TSI Te, SENATOR AMPLISSIME, non semel venerabundus adierim, ut studiorum meorum, quibus auctoritate ac patrocinio præes, rationem inirem; nunquam tamen ita voti mei indulli, aut literaria meditata tantum feci, ut ea digna judicaretur, qua tuis oculis sisterentur. Verum cum primum de adornandis AUGUSTINI Vindicis cogitavi, spes mihi largior afflavit, non indignum, in quem oculos flecteres, visum iri conatum hunc qualemcumque meum, cui saltem æstimationem pretiumque faceret dignitas argumenti. Si minus gratum accideret Operis artificium, quod scio quam sit exiguum, indignumque parabis, cui favorem, ac patrocinium impendas; ac Doctorum, quos pristina tulit ætas, omnium maximum a calumnia vindictam ea veneratione excipies, qua sacras divinasque literas fovet: strenuum Ecclesiæ Catholicæ Defensorem ea pietate admittes, qua Ecclesiæ jura dignitatemque tueris: summum Divinæ Gratiæ Vindicem eo animo studioque recipies, quo rei sacræ tuendæ, ubicumque occasio tulerit, sedulus excubas; & quidquid ex divini Nominis Majestate est, id fidei tuæ, ac patrocinio creditum putas. Hæc una MECOENAS OPTIMÆ, ad præsens voti summa est, ac etiam voti fiducia. In tuas præterea laudes encurrere religio mihi fuerit, qui Theologus, non laudator accessit; ne sacrum opus ab assensatione videar auspicari; a qua tantum fortuna tue magnitudo, quantum genii mei simplicitas abest. Itaque non obitas ad Reges maximos Legationes percensebo, procerum comitatu, aula pompa, familia stipatu, cuiusque prope regio, omnium quas sol viderit splendidissimas: queis Venetæ Majestatis nomen ad cæteras quoque gentes, ac mundi ultima extendisti. Non mentem res humanas moderaturam predicabo, imperitantium artes, jura Principum, arcana Dominationum edolam; intimis æternæ Reipublicæ consiliis exercitam, perpetuoque rerum usu insigniter perpolitam. Non supremarum dignitatum obitorumque Magistratum fastos excutiam, quorum vel soli tituli defatigare Lectorem possent, in quibus te sola virtute, ac benefaciendi potestate Principem demonstrasti. Non demum, qua tanto bonorum culmine cæteris præstat, cunctis obviam facilitatem commendabo, effusam in omnes atque obviam comitatem, singulorum vota ac studia provocantem. Hæc præclara ingenia quondam expedient, ac posterorum memorie commendabunt: ego fieri melioris auspex, ut perennent, vota facio. Vale mearum grande decus columenque rerum; pro quo nisi visa decidere Superi dederint, debitor moriar.

## P R Æ F A T I O.

**A**lter annus est, ex quo infaustus Launoji Liber in Augustinum misere confarcinatus, invivam per annos ferme triginta lucem aspexit. Abortivum foetum natalitii tenebris damnaverat Scriptor infelix, ne publicam subiret invidiam, neve fama suæ in orbe literario jacturam faceret. Verum (quæ sæculi nostri ingeniorum licentia est) inventus est tandem, qui scriptum tot annos claustris ac fera cohibitum typis committendum existimavit: seu Launojo humanis jamdudum rebus exento, nihil ab hominum invidia timendum crediderit; seu forte publicatum Libellum sustineat Scriptoris famæ non impari judicari.

Hujus hæc summa est: Primo, Augustinum de Gratia, & Prædestinatione disputantem in extremos errores abiisse, novam in veteri spatio viam calcasse, ignotos prificis Ecclesiæ Patribus calles aperuisse, fidelium animos turbasse, motus tota passim Africa, Gallia, Italia dedisse; Vvicleffo, Zuinglio, Luthero, Calvino horridis dogmatibus prælusisse. Secundo, Prosperum, Hilarium, Casarium, Prudentium, Remigium, cæterosque Augustini discipulos, sanctitatis & eruditionis laude præcipuos, pessime apud æquos æstimatores audiisse, Romanis Pontificibus illuisse, Decreta malis artibus extorsisse, æmulos suos falsis criminationibus onerasse, justam demum damnationis sententiam subiisse. Tertio, Semipelagianos e contrario meliori jure usos, antiquæ Majorum Traditioni hæsisse firmiter, Augustino ejusque discipulis firmis rationibus obstitisse.

Id ut exequatur, tenuem opellam in duas veluti partes distribuit. Priori, superiorum Augustino sæculorum Traditionem de Gratia, & Prædestinatione texendam instituit, Augustinianæ doctrinæ, ut autumat, repugnantem. Quocirca nudas, ac sparsas Veterum sententias colligit, tamquam arenam, ut Svetonius loquitur, sine calce; nullius scilicet distincta verba oculis subjiciens, sed dicti summam, eamque restrictam admodum gallice reddens; nullius Librum aliamve lucubrationem indigitans: seu forte, ut facilius quæ lubet, illis assignat, seu etiam ut Lectorum in conferendis testimoniis diligentiam exerceat. Altera Operis parte, posteriorum Augustino sæculorum Traditionem exequitur, seu verius Historicam Narrationem, de adversa, ut loquitur, Augustinianæ doctrinæ fortuna; quam ex quo primum vulgari cepta est, ad nostra usque tempora, in Ecclesia Catholica passa sit.

Nos in verso ordine, ac continuata serie partem utramque dispungimus. Qua veneratione, quo cultu, Sancti Augustini, de gratia se ipsa vidrice, deque gratuita prædestinatione, doctrina, dum viveret, ac secutus inde sæculis excepta sit, primum ostendimus: tum quam bene cum priorum Ecclesiæ sæculorum Traditione consentiat, demonstramus. Quæ duo dum agimus, spuria Traditionis errores, fabulas, lapsus, anachronismos, calumnias, mendacia, pro re nata atque ex ordine temporum, consutamus.

In hac porro aleam descendimus eo lubentius, quod ad eam Apostolicæ Sedis judicio, invite-mur, quo infaustus Launoji Liber diris devotus est, gravissimique infamiae notis inusu. Hoc nos sanctius oraculum, uti Prologum galeatum Scriptioni nostræ præmittimus, quo vel uno universo Adversarii tela feliciter eludemus.

Addit animos Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Decretum gallice editum, in modum pastoralis Institutionis, ut suos adversus male-nati Libelli venena communiret, Nobis Lutetia procul distitis, serius quam optabamus, redditum est; tametsi jam inde a Mense Octobri vulgatum esset. Nonnulla, quæ ultro nobis occurrerant, ab erudito Præsule occupata deprehendimus; quæ tamen, ut pote viro cuilibet erudito idem argumentum pertractanti satis obvia, circumcidere religio fuit. Quamquam vel spicilegium facere, vel a doctissimo Galliarum nostrarum Archiepiscopo doceri nulla nobis invidia foret. Excultæ eruditionis documentum, a Viro Augustinianæ doctrinæ studio latino redditum damus in Appendice; ne eo forte defraudentur, quæ gallicum idioma peregrinum est.

## SS. D. N. CLEMENSIS

## Divina Providentia Papæ XI.

Damatio, & prohibitio Libelli typis editi sub titulo: *Veritable Tradition de l'Eglise, sur la predestination, & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison & Societè de Navarre. A Liege MDCCII.*

## CLEMENS PAPA XI.

## Ad perpetuam rei memoriam.

**C**UM, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit Libellus quidam, cui titulus: *Veritable Tradition de l'Eglise, sur la predestination, & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison, & Societè de Navarre. A Liege chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la Prudence MDCCII.* Nuperrime vero venerabilis Fratres nostri S. R. E. Cardinales in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, a Sede Apostolica specialiter deputati, audita Libelli hujusmodi censura, illum ad minus tanquam impium, blasphemum, necnon fulgidissimo Ecclesiæ Lumini, maximoque Doctori Sancto Augustino, quinimo ipsimet Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedi injuriosum, damnandum, & prohibendum esse censuerint: Hinc est, quod Nos pro commissa Nobis divinitus gregis Domini cura, animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex præfati Libelli læsione, & usu provenire possent; pastoralis sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui ejusdem Sancti Doctoris præcellam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, toroque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis firmiter inhærere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, Libellum prædictum auctoritate Apostolica, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque Libelli impressionem, descriptionem, læsionem, retentionem, & usum, omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specificis, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdiciamus. Volentes, & auctoritate præfata mandantes, ut quicumque Libellum hujusmodi penes se habuerint, illum, statim atque præsentem Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque configare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eadem præsentem Litteræ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curie Generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curatoribus nostris, ut moris est, publicari; illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes & singulos, quos concernunt, perinde officere, ac si unicuique illorum personaliter notificata, & intimata fuissent: Ipsarum autem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensa. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxviii. Januarii MDCCIV. Pontificatus nostri anno quarto.

F. Oliverius.

404  
DIVUS AUGUSTINUS  
A CALUMNIA VINDICATUS

ADVERSUS JO. LAUNOJI TRADITIONEM.

**E** Pistola nuncupatoria.  
Præfatio.  
SS. D. N. Clementis Pape XI. Damnatio, &  
prohibitio Libelli typis editi sub titulo: Ver-  
itable Tradition de l'Eglise &c.

CAPUT PRIMUM.

**L** Auojus jam inde a libelli prologo, suam  
in Augustino erroris infimulando audaciam  
nequicquam excusat, sed pinguioribus erro-  
ribus auget.

II.

Launojus in proferendo Augustiniana, quam  
oppugnat, doctrine specimine, ignorantie,  
calumnie, fallacie revincitur.

III.

Prima Launojana narrationis calumnia depel-  
litur. Quo cultu Augustini de gratia, &  
predestinatione doctrina, ab Innocentio,  
Zozimo, & Episcopis Africanis, ut primum  
vulgari cepit, excepta sit.

IV.

Bonifacii I. Rom. Pont. magna de Augustino,  
ejusque doctrina opinio concepta, adversus  
Launoji hallucinationem defenditur.

V.

Launoji, de commoto statim in Augustinum  
orbe catholico, Somnium dissipatur.

VI.

Mora inter Monachos Adumetinos de Augu-  
stini doctrina controversia, non modo ejus-  
dem auctoritatem non imminuit, uti Lau-  
nojo visum est, verum etiam conciliant mul-  
to majorem. De Vitale Carthaginensi fabula  
refellitur.

VII.

Gallorum ac pessime Massiliensium in Augu-  
stinum Censura, ab Launojo denuo recuse,  
honori, & glorie cedunt sanctissimo gratia  
Vindictæ.

VIII.

Launojana fabella, de turbis in Africa, &  
Italia excitatis, Augustiniana doctrina oc-  
casionem, statim a Sancti Doctoris obitu, de-  
pellitur, confutatur.

IX.

Celestini I. Rescriptum ad Gallos Episcopos,  
a Prospero, & Hilario ad Augustiniana do-  
ctrina commendationem impetratum anno  
432. a Launojo rebus defenditur.

X.

Prosperi, & Hilarii religiosa sollicitudo, in  
promouenda Augustini doctrina, recenti Apo-  
stolica Sedis oraculo consecrata, a Launojo  
calumniis vindicatur.

XI.

Launoji, de Auctore Librorum de Vocazione  
genitum, aberrationes, calumnie, dicta  
refelluntur. Vincentii Lirinensis Communi-  
torum exussatur.

XII.

Afficta Augustino, ejusque discipulis hæreses  
predestinationis nota depellitur.

XIII.

Augustiniana doctrina de Semipelagianismo  
triumphus, sæculo sexto, septimo, & octa-  
uo reportatus, & a Launojo pessima fide  
dissimulatus, distincte narratur.

XIV.

Gotteschalchi causa, dissidentibus invicem Gal-  
lie Præsulibus, agitata sæculo nono, Augu-  
stini nomen non modo non atterit, ut cele-  
bret potius.

XV.

Augustini doctrina, post judicatum Gotteschal-  
chi causam, summo in Ecclesia cultu exce-  
pta est, ad sæculum usque decimum quartum;  
Wicklesso, aliisque Novatoribus opposita.

XVI.

Augustinus a Lutheri, & Calvini erroribus  
remotissimus, summa veneratione a Triden-  
tina Synodi Patribus exceptus.

XVII.

Augustini doctrina a Leonardo Usinensi ex sa-  
cro suggestu tradita, & ab Aquilensi Pa-  
triarchi probata, Tridentina Synodi judicio  
confirmatur. Facti narratio a Launojo corru-  
pta, ac depravata, ex legitimis documentis  
restituatur.

XVIII.

Augustini doctrina non modo nihil, ex Baji  
Jansenique damnatione detrimenti cepit,  
verum etiam multo majorem in Ecclesia au-  
toritatem obtinuit.

XIX.

Launoji, de violata ab Augustino priorum sæ-  
culorum Traditione, criminatio ex dictis eli-  
ditur; eademque ab omni veri specie remo-  
tissima demonstratur.

XX.

Augustiniana doctrina capita a Launojo erroris  
insimulata, priorum sæculorum Traditioni  
consentanea probantur. Primi alteriusque sæ-  
culi Patres expenduntur.

XXI.

Tertii sæculi Patres ad crism vocantur, &  
Augustiniano dogmati asseruntur.

XXII.

Quarti incuntes sæculi Patres Augustino con-  
ciliantur.

XXIII.

Quarti cadentis sæculi Patres, & quinti incun-  
tis, Augustino suffragari ostenduntur.

XXIV.

Et ultimum.  
Familiares prisca Ecclesie Patribus loquendi  
formula, ab Launojo frequenter objectæ,  
cum Augustini sententia expenduntur, & cum Augustini  
sententia conciliantur.

Decretum Illustris. ac Reverendiss. D. Caroli  
Mauritii le Tellier Archiepiscopi Remensis,  
adversus Launoji Traditionem de Predesti-  
natione, & Gratia, e gallico in latinum  
translatum.

Epistola Joannis Launoji &c.

405  
DIVUS AUGUSTINUS  
A CALUMNIA VINDICATUS

ADVERSUS JOANNIS LAUNOJI

TRADITIONEM.

CAPUT PRIMUM.

Launojus jam a Libelli prologo, suam in Augustino  
erroris infimulando audaciam nequicquam excusat,  
sed pinguioribus erroribus auget.



**E**ST illud Augustini in Eccle-  
sia Catholica nomen, ea tri-  
umphati erroris, & assertæ  
Fidei fama, ut opus invidiæ  
& periculosa alea plenum  
moliri se fati intelligant,  
quorquod ad eum erroris in-  
simulandum, animum indu-  
cunt. Idcirco Launojus, cui

petulans audaxque consilium infedit animo, jam  
inde ab initio excusationes obtendit, occupatque  
pro viribus quæ putat opponi, ut omnem a se  
suscepti operis invidiam amoveat. Cum enim  
Augustinum, adoratum terris ac celo caput, gen-  
tium omnium linguis ferri videat, quod illo ne-  
mo melius Divinæ Gratiæ vires expertus sit, ne-  
mo felicius explicarit: ejusque doctrinam a viris  
omni retro ætate sanctissimis, doctissimisque pro-  
pugnata certo sciat; quæ duo insaukti illi omni-  
nis præjudicia videbantur: incommotis istis sta-  
tim occurrit audacissimus criminatur, lectorem-  
que primo ingressu præclaris hæc monitis occu-  
pat; ut omni in Augustinum affectu vacuus ad  
legendum accedat.

(Pag. 1.) I. Doctores, quanti quanti sint, non  
aliam sibi dictorum fidem conciliare, quam que illis,  
ex rationum quæ nituntur, momenti accedit: at-  
que adeo magnam illam, quæ tota Ecclesia Catholi-  
ca valet Augustinus, existimationem nihil obesse, quo-  
minus, nisi causa subest, erroris a viro Theologo po-  
ssulari queat, nulla debite venerationis injuria.

(Pag. 4.) II. Nomini mirum videri posse, erro-  
rem de gratuita Predestinatione, Gratiæque se ipsa  
victici, tandem in Ecclesia perenasse. Cum alteru-  
tram hoc de argumento opinionem, seu Augustini il-  
la sit, seu partis adversæ, erroris nomine cense-  
ri esse sit, qui tamen ab annis mille ducentis, & quod  
excurrit, in Ecclesia persistat. Maxime vero, cum Pa-  
pæ, de novo post extremi judicii diem, Christi Do-  
mini Regno, spissus error, per annos ferme trecentos  
perduravit, donec damnaretur.

(Pag. 5.) III. Neque id exemplo vacare, ut  
pernuntius magni nominis viri in errorem conjunctis  
animis conspirarint. Quandoquidem memorata Papiæ  
sententia, tametsi reapse hæretica, a Sanctissimis  
doctissimisque priorum sæculorum Patribus propugna-  
ta probataque sit, quoto tempore persistit: nec ab-  
simili sorte Origenis error insinuat eruditorum ho-  
minum, Sanctorumque Martyrum multitudinem as-  
sentientem habuerit: ut interim, inquit, Arianam  
hæresim missam faciam, quæ universum pervasit Or-  
denem, si que D. Hieronymo, & Vincentio Liri-  
nensi fides est.

(Præf.) IV. Augustiniana Doctrinæ Professores,  
eidem ad hanc usque diem ad hæresim, nul-  
li animadversioni obnoxios, ac violata fidei

minime reos: quod nondum ex forma juris damnati  
sint.

Ita novus occultorum hæc errorum Inqui-  
sitor, quem, ut sibi ipse blanditur, ad hæc uf-  
que tempora, liberanda veritas expectavit. Ec-  
quis porro non videat, occultos Augustini erro-  
res reterege meditantem, apertis erroribus viam  
sternere? Nihil quippe tam lubricum, tamque  
errori patens, quam fumos quosque Ecclesiæ  
Doctores omni demum nominis auctoritate exue-  
re: nec aliam illis fidem adungere velle, quam  
quæ momentis illorum ac rationibus datur. Id  
si liceat, tota pæssum ibit Theologica res: nec  
jam petum a Patrum auctoritate argumentum,  
cui Theologi maxime fidunt, ab altero quod a  
ratione est, fecerunt. Immo nihil Patrum ma-  
ximum, præ vili & extrema concionis homuncu-  
lo obtinebit, ex fama nominis: cum eam nemi-  
ni fidem negemus, quam rationum momenta conciliant.  
Procul ab inconulto illo Launoji monito  
Ecclesia Catholica, quæ uti Patres non meros  
simpliciterque dispartores agnoscit, sed Traditio-  
nis suorum temporum testes adhibet; ita (nisi  
illis, quodam fortasse doctrinæ capite, auctori-  
tatem ademerit) rationum etiam quibus nituntur  
consideratione seposita, fidem illis adjungit: ma-  
jorem utique minorentve, pro varia quæ florere  
ætatæ temporum: iisque omnium maximam, qui  
in eo, quod agitur, argumento, summam ope-  
ram posuere, ut Catholicas partes adversus Hæ-  
reticos tuerentur. Hæc certa Ecclesiæ de Patrum  
auctoritate sententia; Conciliorum cum recen-  
tium, tum antiquorum usu consecrata. Neque  
tamen id moneo, quasi Augustino meo, a mo-  
mentis, quæ inanti solet, aliquid timeam: sed  
ut intelligat audacissimus criminatur, toto se-  
otio jam inde a prologo aberrare: eaque com-  
mentitiæ Traditionis fundamenta ponere, quæ  
Theologiam ab imo suffodiant, & in errorem in-  
ducant.

Alterum de errore tot annos in Ecclesia gra-  
fante Launoji monitum, uti & tertium, de tam  
multis magni nominis viris, in ejusdem defe-  
sionem conspirantibus, minus profecto ferendum  
est. Aliud quippe, in Augustini de gratia & pre-  
destinatione sententia fidei est, aliud opinionis.  
Fidei caput nunquam non Ecclesia tenuit, uti  
probabitur loco suo: tametsi errorem oppositum,  
rebus nondum ad liquidum perductis, in nonnul-  
lis aliquandiu passa sit. Alterum opinionem libe-  
ram, in quamlibet partem etiam hodie pro arbi-  
trio disputatur, citra erroris periculum: licet ii  
potiori jure censentur esse, qui Augustino vel  
in liberis tenacius hærent. Nec Launojum juvant  
Papiæ, Origenis, Arii errorum exempla. Quan-  
quam enim ultro daremus ut liber, nonnullos  
olim errores, longo temporis tractu, in Ecclesia  
perdurasse, viroque etiam maximis ac numero  
plures iisdem aliquandiu adfuisse; nihil inde ad  
iustitiam. Aliud namque est, errorem in non-  
nullis ab Ecclesia tolerari, donec eliquata ultimo  
veritate proferatur; aliud expresse probari &  
com-